

**Foetum monstrosum et bicipitem, dissertatione hac inaugurali / ... sistit
Joh. Conradus Brunnerus.**

Contributors

Brunner, Johann Conrad von, 1653-1727
Université de Strasbourg

Publication/Creation

Argentorati : Typis Johannis Welperi, 1672.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nbtrk79t>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

14
20

Duce & Auspice
Summo Naturæ Gubernatore!
AVTHORITATE ET CONSENSV
Magnifici & Amplissimi
ORDINIS ASCLEPIADEI,
In Alma hac & florentissima Studiorum
UNIVERSITATE ARGENTORATENSI:

**F O E T U M
M O N S T R O S U M
E T B I C I P I T E M ,**
DISSERTATIONE HAC IN AVGVRALI:

PRO

*Summis in ARTE MEDICA Honoribus &
Privilegiis DOCTORALIBUS
rite consequendis,*

Solenni φυσιθαυματῶν Examini .

*Cum ejusdem SCELETO
sistit*


JOH. CONRADVS BRVNNEVRVS,
Diffenhoefiano-Helvetius.


Ad diem Mensis Septembr.

h.l.q; consuetis. •

ARGENTORATI,
TYPIS JOHANNIS WELPERI.
ANNO M DC LXXII.







INCLYTO
DISSENHOFIA-
NORUM
MAGISTRA-
T^VI,
VIRIS
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AM-
PLISSIONIS, PRUDENTISSIMIS
PATRIÆ PA-
TRIBVS,
DOMINIS suis GRATIOSIS.

nec non

MAGNIFICO MÆCENATVM
PARI:

V I R I S

Nobilissimis, Amplissimis, Experientissimis,

DN. JOHANNI ALBERTO
SEBIZIO,

Medicinæ Doctori ac Professori in Illustri hac A-
GENTORATENSIMUM Universitate Celeberrimo, Reipublic.

Physico undiquaque meritissimo, Præceptori suo ac Pa-
tronoo Parentis loco colendo.

DN. JOHANNI JACOBO
WEPFERO,

Doctori Medico Celeberrimo: Sereniss. Principum
ac Illustrissimorum Comitum, nec non Schafus. Reipubl.
Archiatro felicissimo: Facult. Med. Basil. Assessori Amplis-
simo, Patrono ac Cognato optimo.

SINGULIS STUDIORUM SUORUM
PATRONIS ac PROMOTORIBVS
SVMMIS,

Devotionis & gratitudinis humillimæ ergo

THEMA SUUM INAUGURALE
sacrum esse submissè voluit
TANTAR. AMPLITUD.

Cliens ac Cultor devotus

Joh. Conrad. Brunnerus.

PRÆFATIO.

Qvantum Anatomia , indefessa ac fida *Pæonis* famula Medicinæ in dies adferat splendoris, nobis vel documento esse possunt præclaræ quæ ex Cadaverum Dissectionibus peti solent Observationes. Hæc quippe, prænobilis Ars Naturæ abstrusa, quæ alias ne acutiore quidem mentis scrutinio perquiri possent; teste a) *Pergameno* illo, planè oculis nostris subjicit atque exponit. Alma *Argentina* in hoc etiam splendoris genere deficere noluit, dum non ita pridem locum studio, quod notamus aptum in se exsurgere jussit: præclari operis monumentum hoc, vel posteritati sui Authorum laudem loquatur! Eximum sanè illos præstítisse opus vel ipsa Natura, mirabilem novorum antiqua Parenis nobis tacitè innuit, dum rariorem nuper exponendo Casum ipsorum institutum juvat, ornat ac celebre reddit. Quum itaque, peracto per Dei gratiam Examínū ordine nobis Disputatio scribenda fuisset, opportunè Casus se obtulit, quo Mulier, deinceps nominanda partum monstrosum

a) Libr. 2.
de anatom.
administr.

PRÆFATIO.

enixa est Iniquum autem dum censerent
Facultatis Professores Amplissimi, Patro-
ni ac Præceptores summi, ut Theatri nostri
(cui tanta novitatis gloria bonis, si vis, au-
spiciis obtigit) splendidum hoc ornamen-
tum suppressendo tum ipsi, tum Curiosis
injurii essemus; obsequii, quæ nobis relictæ
est gloriâ inductos nos optimè facturos spe-
ravimus, si Casum publicâ hac Dissertatione
exhiberemus ac proferremus in apertum.
His itaque liceat nobis difficilem provin-
ciam subeuntibus, non uti debemus, verùm
ut possimus morem gerere, nōsque ad
enarrationem Casûs liberiorem accingere.

Tu interim, Benevole Lector errores, quos
^{a) Tract. de monst. Præ-}
^{fat.} in tam fusa materia, censore ^{b)} *Liceto*, plu-
res esse non dubitamus vel toleres vel
emendes obnixè rogamus: nobis autem
nostram collocâsse operam sufficiat. Deus
fons omnis boni dirigat calamum,
quò cedat feliciter
cœptum!

HISTO-



HISTORIA PARTVS MONSTROSI.

ANNO, quem agimus, 1672. die 17. Martii Mulier quædam Argentínen sis, nomine *Anna Magdalena, Thoma Reuteri*, Sutoris Uxor satis honesta, postquam septem enixa fœtūs jam de octavo prægnans addendo cogitaret, quinque gestationis menses satis bene, nullâ imaginationis vi turbata vixit: postea verò indies majorem persentiscere molestiam cœpit: tumor quippe pedum, varices nigricante sanguine turgidi ac tortuosi, ipsa denique Pleuritis afflixerunt miseram. Instans autem partus, quum non pateretur moram, anxia quærebat opem, quæ mox, incisâ venâ bono cum levamine lata fuit: vix autem duabus horis exactis partūs indicia apparuerunt. Vocatâ itaque Obstetricie, omniumque rerum apparatus facto, pariendi dolores invaluere; quibus per aliquot horas perseverantibus Infans exitum quærens capitulumque exserens partūs naturalis spem fecit. Mox autem Mulierculæ assidentes difficillimum conspicer eundem coactæ sunt, adeò ut capitulum, quod jam videt lucem in manibus Obstetricis emortuum grumoso sanguine circumfusum lividumque in magnam excreverit molem. Misero hoc

ro hoc statu per octo horas parturientem ad extre-
 mas angustias adigente , tandem fortè fortuna
 oblato medicamine & assumpto cum Adstantium
 stupore & admiratione summa alterum, quod ha-
 etenus partum remorabatur capitulum in lucem
 prodiit , sicque deinceps misera hæc extremâ urgen-
 te necessitate fœtum suum enixa est monstrosum,
 mortuum. Parentes interim lugubri hoc Casu con-
 tristati Infantem jussu Obstetricis juratæ *Dominō*,
 qui tunc temporis officii dignitate eminebat & ad-
 huicdum eminet , *Consuli* transmiserunt , qui
 cùm & ipse rei Medicæ interesse pro singulari sua
 prudentia existimaret , hunc ipsum *Dno. D. Joh.*
Alberto Sebizio , *Physico Reipubl. ordinario ac Anatomiæ Professori Amplissimo* , meritissimo perferri jus-
 sit. Quum interea Fortuna , cui id beneficii debeo
 eò me devenire voluisset , pro singulari , quo me
 (publicè fateri liceat) immerentem vel quotidie af-
 sicere solet *favore* & mihi fœtum hunc monstravit.
 Mirabilis sanè externa , tota quanta miranda erat fa-
 cies ! Ut autem rem , uti verè meretur intimè per-
 lusremus , priùs Externam ejus figuram expone-
 mus , cui postmodum præclararam , quæ in Apertura
 emicuit subjiciemus faciem. Eam quod spectat:
 Duo erant *capita* ex dupli *collo* enascentia , dex-
 trum scilc: atque sinistrum , quorum illud hoc
 magnitudine atque perfectione superabat : Inter
 utrūque caput duo *brachia* communi integu-
 mento involuta exerta erant: *Manūs* etiam si disjun-
 ctæ , mirificè tamen sese invicem spectantes & quasi
 fraternalm sibi invicem fidem promissuræ appare-
 bant: Duo præterea *brachia* ex humeris subutrōque
 capi-

capitulo protensa: *Pectus* amplum, deorsum verò strictius: *Abdomen* naturalem præ se admodum ferrebat faciem: *Membrum virile* unicum in medio legitimè erat dispositum: *Scrotum* verò turgidum erat atque refertum. In parte posteriore propè ad scrotri exortum *foramen*, è quo cruentum quid, rudimentum alterius membra nascituri simulans propendebat, erat conspicuum: quod cùm propter loci & figuræ inconvenientiam pro ano vix haberi posset, aliud quidpiam fore judicatum fuit. In apertura verò ac penitione inquisitione anum quocunque ordine locatam extitisse deprehensum fuit: Cæterùm *struetura pedum* erat simplex, sicut ex effigie, quam majoris perspicuitatis gratiâ adjecimus colligere licet.

Interea, quum *magnus Studiorum nostrorum Apollo Joh. Albertus Sebizijs*, *Præceptor noster atq; Patronus summus* rem altiore indagine dignam deprehendisset, (juvat enim sèpè hujusmodi monstra aperire, ut interna quoque errata varia Naturæ patetiant, uti præclarè docet acutissimus horum *Annotator a) Ulyss. Aldrovand.*) vocatis quibusdam ^{a)} *Histor. Artis Medicæ Cultoribus* cadaver nostrum in *Theatrum monstrorum* deportari jussit. Itaque in præsentia *Viri Excelleni-
tissimi Marci Mappi, Medicinæ Doctor. ac Professoris
Celeberrimi: Universitatis h.t. Rectoris Magnifici, Patro-
ni ac Præceptoris devotè colendi*, aliorūmque doctrina illustrium Virorum, Φυσιογνώσης, quem antea laudare cœpimus Cultrum Anatomicum administravit. Aperto itaque abdome, *Vasa umbilicalia* simplicia, at insignia suo in exortu (vena conve-
nienter è fissura jecoris: *Urachus* è fundo vesicæ,

& duæ arteriæ è ramis iliacis emergentes) fuere reperita: *Intestina* verò duplia à dupli oriunda ventriculo progrediebantur usque ad finem *Intestini Ilei*, ubi palmam superiùs in unum terminabantur meatum, qui in progressu constituens *Intestina crassa* desinebat in foramen illud, quod foris erat conspicuum. Geminus quoque, uti dictum *ventriculus*, cum suo quivis *œsophago* apparuit. Cæterum *Jecur* observatum fuit unicum, quantitate tamén continuâ discretam resarciens. *Vena cava* simplici ramo è jecore egrediens visa fuit, quæ in progressu versiùs superiora proculdubio (refrænavit enim avidum penitiùs rimandi mentis impetum temporis brevitas) bifurcata dupli cordi inserta erat: versiùs inferiora autem, cùm omnes fere partes essent simplices, simplicem quoque tendisse sana ratio suadet: *Lien* insuper unicus in sinistro hypochondrio delituit. *Duo Renes* satis insignes: unica item *vesica* cum suis *ureteribus* naturaliter constitutis. *Vasa spermatica* aderant simplicia, quibus circa initium processuum peritonæi *Caro quedam* adjecta & quasi circumvoluta erat, testiculum fœmininum mentiens: exinde per processūs peritonæi progrediebantur ordine optimo in scrotum, ubi naturali ac consueto modo in binos inferebantur testiculos: *Scrotum* verò, quod extrinsecus apparebat turgidum, multas, sicut & abdomen fundebat superfluitates. *Reflexo* postmodum, quod unicum erat *Sterno*, duo *Corda*, quorum dextrum sinistrum magnitudine longè superabat, suis quodvis vasis instructum, communi involuta *pericardio* admirationem ad se rapuerunt. A dupli in-

super

super *Trachea*, duplex *Pulmo* enatus cavitate thora-
cis conclusus erat. Et hæc sunt, quæ in Cadave-
ris nostri Evisceratione occurrerunt notatu digna,
quæ repræsentabit clariùs ipsa rei effigies. Supereft
nunc ut accedamus ad *Oſſum* ſtructuram (quæ in
Theatri gloriam aſſervatur) æquè mirificè fabrica-
tam. Duo quippe *Capita* dupli ci *Collo* erant ſuper-
impoſita. Duplex inſuper *Spina dorsi* (cum ſuis
quævis *Costis* , quarum illæ interiores propter loci
angustiam coaſtè erant incurvatae) inter duo oſſa
Innominata, dupli ci *Oſſe ſacro* , ad instar cuneorum
ligno findendo inſixorum interſerebatur. Inter duo
oſſa ſacra, alia quædam *portio oſſea* , os coccygis
tertium, aut ſi mavis, lapidem *Carpionis* majorem
referens erat conſpicua : *Artūs inferiores* legitimè
è ſuis acetabulis utrinque prodibant : *Superiorum*
verò erant quatuor, nimirum duo ſub diectis capiti-
bus è ſuis *Scapulis* propendebant : duorum autem re-
liquorum, inter bina capita è *Scapulis* ſuis conti-
guis exortorum, *Oſſa humeri* in unum coaluere :
Cubitū verò utriusque ad ſejunctas ſeparatim pro-
grediebatur *manūs*; ſicut tum ex Icone, tum ex
ipsius inpræſentiarum *Sceleti* contemplatione elu-
cebit clariùs. Hæc itaque funto, quæ de propo-
ſito Casu fidâ manu ex accuratum *avro* *plia*, tum
aliorum approbatione optima conſignâſſe habui-
mus neceſſe. Nobis interim, cùm alii Casum me-
ditati non ſint noſtrami mentem cum bona venia
pro ætatis & annorum conditione proferre liceat,
ſpe fretis, *Candidum Lectorem* æqui bonique con-
ſulturum, quod à nobis in tam fuſa materia forſan
brevitatis gratiâ omiſſum fuerit; potiū illum oc-

casionem hisce sumpturum, ulterius rem actam timandi. Ne verò *Disputationis* limites transgrediamur, quantum licet breviori calamo per *Quæstiones* rem tradituri, ejus *Essentiam*: *Generationem*: *Vitam*: *Mores* & *Actiones*; denique & ipsam met *adversam* *Valetudinem* & *Obitum*, siquidem aliquousque manifestent superstites Exercitii gratiâ considerabimus. Prioris ordinis esto.

QVÆSTIO I.

Utrum Fœtus hactenus descriptus fuerit Monstrum?

Occurrat forsan nobis, acturis de monstris statim in limine quispiam nimis otiosus, quem offendat nos intrare januam, nondum superato Ὀνοματολογίας atrio. Verùm facile nos veniam impetraturos speramus, quum institutum penitiùs inspexerit ille. Non enim de monstris in genere tractaturi sumus; aliud nobis est quòd monstramus monstrum in specie. Proinde hanc parùm morantes pergitus ad explicandum quid sit, quod hactenus descripsimus subjectum, hoc saltem fructu contenti, quòd in cæteris feliciorem re cognitâ progressum sperare liceat. Res autem inveniri per quidditatis & essentiæ scrutinium sententia nobis cum *Philosophis* sit certa. Monstri autem quid-

a) Libr. 2. ditatem varii variè exponunt. a) *Aristoteles* cum Phys. Auis asseclis dicit, quòd sit ἀμάρτημα τῆς Φύσεως, scultat. c. 8. error seu peccatum Naturæ. Contra hosce autem b) Prax. Lib. acutissimus b) *Cappivaccius*, Ego verò, inquit statuo,
6. c. 6.

neque

neque agens universale, neque particulare errare posse, & proinde monstrum non esse errorem Naturæ neque universalis, neque particularis: non illius, quia errare nescit: non hujus, quia ab illa dirigitur. Verum pro authoritate tantorum Virorum dici forsan posset, quod monstrum sit erratum Naturæ, non quidem quatenus talis, sed quatenus agit per instrumenta corporea in materiam propter ineptam *diathesu* nonnunquam inhabilem: id quod c) Galenus, *summus Artis Dictator* eleganter exprimit, c) Libr. 2. d. dum inquit: Naturæ erroneum & erraticum omne dieb. decreta nostra proficiisci materia putabis. Agit itaque a- gens seu vis formatrix pro dispositione tum instrumentorum, quibus utitur, tum materiei subjectæ, exprimendo figuram, quam in suo sinu fovet occultam. Attamen, cum formalitas monstri in hoc errore non consistat, sed tantum causæ proximæ, illis cum facere non possumus, nisi forsan *Causam* pro *Causato* intelligi velint. d) Heurnius dicit, quod d) Instit. lib. fit, Animal malè compositum in utero. e) Cappivax- s. c. 8. eius verò, Quod raro accidit & recedit ab affectibus e) Prax. libr. consuetis, non ad bonum, sed ad malum, turpe, 6. c. 6. deformis. Non procul ab ludit f) Sperlingius &c. f) Physic. Præstantissimam monstri definitionem putat hanc libr. I. cap. 9. g) Aldrovand. Monstrum est subcœlestis vivens, g) Histor. enormi membrorum constitutione horrorem cum monstr. cap. admiratione intuentibus incutiens: (non quod 2. pag. m. 33^a vivens illud post obitum monstrum esse cesset, alias & nostrum, quoniam illud vivens non vidimus, monstrum appellasse nimium putares; sed quod aliquando vivens fuit, Aldrovandus forsan per τὸ vivens intelligit: quamvis & in hisce nos laxiores

simus facile.) Alii quoque aliter; omnes tamen in eo conveniunt, dum monstri quidditatem in mala & vitiata partium organisatione & conformatione
b) De mon. reponunt, videsis **b) Fortun.** *Licetum:* in admirabili
str. lib. I. deformitate, quatenus nimirum à consueta Natu-
c. 8. ræ norma recedunt, **i) Aldrovandum.** Cùm itaq;
i) Histor. & noster Fœtus propter raram, extraordinariam &
monstr. c. 2. planè inconsuetam, quæ ex nuda inspectione ap-
 paruit faciem hunc numerum ingrediatur, jure
 optimo & ipsum inter monstra reponimus; in spe-
 cie eorum, quæ speciem non mutare dicuntur. His
 itaque perpensis *Generationis modum* aggreditur.

QVÆSTIO II.

Quisnam modus extiterit formationis noſtri in utero Fœtūs?

ARdua ſanè, quomodo fiat generatio est quæ-
 stio, quæ jamdudum multorum torſit inge-
 nia, cùm ſeſe hīc campus controversialium
 plenissimus aperiat. Admiratur tantam Dei sapi-
a) Psal. 139. entiam **a) David.** Profunda quoque hīc **β) Galeni**
β) Libr. de acquiescit scientia, dum Philosophos hortatur, ut
 format. fœt. in hanc rem diligenter incumbant, & si quid pro
cap. 6. sua sapientia invenerint ſibi velint ſine invidia
 communicare. Utinam hoc fuifset factum! At
 pristinus adhucdum pungit animos aculeus: hinc
 varii in varias abiēre ſententias quarum nonnullas
 iſtituto noſtro applicandoſ proferemus in me-
 dium, ex quibus poſtmodum eligere optimam
 cuivis erit liberum. Quibusdam autem, quibus
 ſemen

semen ex toto esse deciduum (inter quos Medicorum
Princeps γ) Hippocrates) persuasum est, suspicio for- γ) Libr. περ
 san moveri posset, quod *Parens nostri fætus* (ipse 20vñs.
 namque asseruit) *gemellus natus fuit*, adeoque
 similem virtutem, qua ipse parens procreatus fuerit
 partibus insculptam, tunc demum temporis, quo
 cum *Uxore* congrederetur (nam antea idem parens
 sat formosos genuit infantes) maximè evolutam,
 liberam ac maturatam (argumento desumpto à si-
 militudine parentum quæ interdum in nepotibus
 demum emicat) simile quid intendisse; cùm verò
 materiâ inhabili, semine, si mavis, fœminino irre-
 tita hæc virtus, id operis expedire non potuerit le-
 gitimè, factum esse, ut immisso in uterus semine
 gemellos quidem intenderit virtus hæc, semini à
 partibus impressa; ob materiæ autem ineptam δια.
 θετιν intentionem suam prosequi non potuerit.

δ) *Marcus Marci* posset forsan ex sua hypothesi δ) Idear. o-
 ejusmodi insurgere talo: Forma seu Speciesgemi- peratic. I-
 na in centris seminis duplicis contenta evolutione dea. c. 4.
 ac emissione radiorum partes figurantium produ-
 cere duplex corpus molita fuit: cùm verò semina
 à principio distincta, posito jam centro evolutionis
 confluxerint, factum esse, ut radii à duplice centro
 emissi impingendo invicem in latera, ibidem ter-
 minati confusi atque concentrati, tanquam co-
 mites postmodum perpetui, coalescentiam hanc in-
 ter utrumque fœtum & intimum confortium pro-
 duxerint.

ε) *Kerckringius* & sua nobis ostentaturus ova, ita ε) Antropo-
 forsan excluderet fœtum nostrum: Ovum duplex gen. cap. I.
 in testibus fœmininis connatum, & fœcunditate & seqq.

viri duplicitate imprægnatum, (quem modum in
 ζ) Histor. oviparis monstrat ζ) Aldrov.) Aut si duplex fœ-
 monstr. de cunditatis principium per tubas cæcas *Fallopionas*
 causis mon- circumductum incidat in ovum unicum (qui ca-
 str. pit, capiat) tunc à duplice illo generationis principio
 duplex exoritur in ovo formatio, quæ conclusa
 atque coërcita cum se legitimè explicare nequeat,
 ob loci angustiam, propinquitatem & materiei in-
 opiam confundi atque connaisci necesse est & fie-
 η) Libr. 4. de ri commixtionem (vide η) Aristotel.) & sic duplicis
 generat. a- fœtūs confortium & coalescentiam factam esse Au-
 nim. c. 4. thor sententiæ dicet, existimare liceat.

Tandem vero quispiam denuò insurgens dicet,
 Causam proximam hujus effectus fuisse facultatem
 $\pi\lambda\alpha\tau\mu\kappa\eta\nu$ depravatè agentem, quæ duplicitatis hominis
 generationem intendens, impedita vero partur
 propter lentorem ac visciditatem seminalis mate-
 θ) Camp. rieci nimiam; seu ut mavult θ) Caspar. à Rejes, te-
 Elys. quæst. nuitatem ejusdem nimiam, ob quam dum forma-
 45. 45. trix in opus incumbit, refluit; unde factum ut non
 potuerit dividi legitimè & secundum diversas uteri
 η) Libr. de plagas disponi, sicque juxta η) Aristot. συμφύεται
 generat. a- διὰ τὸ πλησίον ἀλλήλων εἴναι τὰ κυήματα; partim
 nim. c. 4. vero propter malam uteri positionem, quam inter-
 dum nendo factam fuisse affirmavit puerpera, unde
 uterus non potuerit separare, inque diversas suas
 plegas recondere semen, sicque fine suo frustrata,
 quantum quidem per ineptam materiei dispositio-
 nem licuerit optimo, quem semper intendere so-
 leat modo produixerit fœtum connexum. Cum ve-
 ro semen non sufficiunt singulis efformandis par-
 tibus viderit, factum esse ut illæ potissimum partes
 inte-

integritatem suam sint adeptæ , quarum usus ad vitam magis fuerit necessarius : minùs autem tales effinxerit pro quantitate materiei superstitis , ita tamen ingeniosè , ut uterque fœtus earum simplicium ministerio uti potuisset.

Hicce autem & ejusmodi aliis sibi suam place-re sententiam malumus , quām non nullorum iram subituri de sua hypothesi dejicere . Nos verò per-gimus , & quæ nostra hac de re , satis , nî fallor , pensitata sit sententia , sequenti quæstione declara-bimus : veniam tam facile nos impetraturos spera-mus , sin minùs tersè & ad palatum quam facile suam cuivis placere sententiam largimur & ipsi . Modum itaque formationis verum & eventūs cau-sam proponit .

QVÆSTIO III.

An propter seminalis materiei inopiam na-tum fuerit monstrum nostrum ?

Monstra quædam provenire à seminis defectu , exempla nobis prostant clarissima , videsis
 a) *Paræum.* b) *Aldrovand.* modum vide ibi- a) *Oper.*
 dem. De nostro exemplo dubitare adhuc quispi-am posset ultimæ propositarum sententiæ addictus , Causam eventūs omnem rejiciendo in vitiosam se-minis qualitatem , lentam scilic atque viscida , ob quam idipsum non potuerit dividi ; ideoque propter hanc quæ intercesserit coalescentiam tan-tum seminis insumptum fuerit , quantum vel pro-pedum aliarūmque partium , quibus noster desti-

Chirurg.
Libr.24.c.6
b) *Histor.*
monstr. c.3.
pag.m. 382.

C tueba-

tuebatur fœtus, formatione suffecisset. Addeſis, quòd ſemen forſan ſua viſciditate ac lentore irreti- tum ac intricateſum ita fuerit, ut à virtute plati- ca non potuerit explicari, extendi atque pro partium defiſientium formatione diſponi. At verò ſi adeò ſemen extitiffet lentum ac viſcidum, ut facultas formatrix irretita ac impedita fuiffet; quomodo, quæſo partes omnes tam libero Naturæ conſilio potuiffent diſponi, ut, ſicut infra audiemus, uterque fœtus ex singulari naturæ providentia earum ſimi- pli- cium ministerio tam ingenioſè uti potuiffet, quin potiùs moles rudis ac indigeta mansiffet: Adde & hoc à priori, quòd ambo Parentes optimâ, ſicut alia vice, quâ liberos ſat formoſos procreârunt, ita & nunc uſi ſint & utantur valetudine, argumento certiſſimo, ſimile & nunc eos protulifſe ſemen opti- mè nimirum elaboratum atque confeſtum. Quem- admodum itaque exquisita hæc partium diſpositio, ita ut à libera & expedita Naturæ induſtria producta videatur, illorum ſententiam ſatis ſupérque infrin- git ac redarguit: ita quoque hæc ipſa, ſemen opti- mæ notæ ratione qualitatuni präſupponens, nos de alio inquirendo modo reddit ſollicitos. Credimus autem Ciufam proximam fuiffe facultatem πλαστην conſultò agentem, quæ dupli- cis hominis gene- rationem intendens, propter inopiam verò ſeminalis materiei alterum planè imperfectum, partibus inferiori- bus miſerè deſtitutum fore proſpiciens; arcano ſuo in ſi- nu matris (ſemper enim dux optima intendit quod eſt optimum) conſilio utrumq; connaſci juiſit ac benigna voluit: eum in ſinem, quòd uterq; communibus organis utens

utens vitam, siquidem summus Natura Director ipsis
 concessisset, suam eò commodius ac melius transfigere
 potuisset. En tibi causam eventū & ad quæsitum
 nostrum responsum! Seminis inopia est, quâ Na-
 tura perterrita aliam ingeniosa invenit viam.
 Tandem verò menti observatur quæstio ac difficul-
 tas, nimirum: cùm partes quædam pro duplice ho-
 mine defecerint, *Utrum illa in specie seminis portio de-*
fecerit, ex qua partes deficientes generari debuissent?
 Certum namque est alias, non quidlibet generari
 ex quolibet: adeoque illa seminis portio, ex qua
 v. g. pedes formari debent, vix habilis videtur pro
 efformando capite, cuius alia prorius strucitur,
^{ἰδιοτυγχασία} atque officium, videsis c) Casmann. c) θυχολογία
 Adhæc, si virtus plastica ex quavis seminis portione cap. 9.
 partem quamvis fingere posset, videretur insanire,
 (absit blasphemia dicto) si spretis partibus nobili-
 bus interdum efformaret ignobiles, id quod factum
 esse præter exempla d) Paræi e) Aldrovand. f) Col- d) Oper.
 leg. Curiosi, non ita pridem nobis monstravit per li- Chirurg.
 teras Noster Helvetie AEsculapius, Dn. D. VVepfer. Ve- Lib 24. c. 6.
 rùm quamvis facile largiamur ex spirituosa semi- e) Histor.
 nis parte, spirituosas, v. g. cor: ex crassiore crassio- monstr. c. 3.
 res quoque, αναλογία sibi invicem magis correspon- f) Tom. 2.
 dentes generari: ab illorum tamen parte stare non Observat.
 possumus, qui figuram pro certa quadam effor- 36.
 manda parte semini jam à simili parentis, in qua
 resultarit parte insculptam ac inustam esse, sicque in
 eo delitescere delineatam & per consequens id-
 ipsum ex toto decidi existimant, quorum senten-
 tiam Venerandus noster Senex, Magnificus Dn. D. g) Exercit.
 Melch. Sebiziūs examinat, dijudicat atque redarguit. 33. probl. 5.

Nos tamen distinguendum putamus quoad quæfiti nostri rationes, pro affirmativa adductas, inter semen, quod jamidum limam *ἀλοιωτηκῆς* est experatum, cuius substantia jam est immutata & certæ cuidam efformandæ parti prævia ac idonea reddit: tunc nempe semenis portio pedibus producendis destinata, non amplius est apta efformando capiti:

h) Histor. vide hac de re aptè differentem h) Aldrovandum: monstr. c.3. ubi materiâ, capitis gènerationi destinatâ & ad p- d. errat. Na- etus transmissâ, capitis ac faciei indicia apparuisse meminit. Semen è contra, quod à facultate im- mutatrice nondum est alteratum habere natura- lem habitudinem & aptitudinem ad recipiendam formam cuiuslibet partis; adeoque ex quavis se- minis portione quamvis partem formam inexisten- tem producere posse persuasum habemus. Quòd au- tem interdum principes partes deficiant ignobili- bus existentibus integris, non tamen propterea Naturam accusare possumus, quæ nonnunquam impedimentum aliquod in semine offendit, quò minùs ejusmodi partem producat, quod illi tan- tūm est cognitum, nobis verò imperscrutabile. Con- cludimus itaque quòd Natura, cùm præviderit ma- teriei seminalis in opiam generaliter, parùm mora- ta speciales semenis portiones, circa illas potissimum producendas partes duplices fuerit sollicita, quas magis necessarias provida prævidit; minùs autem tales, effinxerit pro quantitate materiei residuæ simplices, ita tamen ingeniosè atque sollicitè, ut utriusque fœtûs ministerio in servire possent. Et hic est modus generationis: sequitur nunc

QVÆSTIO IV.

Utrum unus, an verò plures extiterint homines?

Generosa sane hic nobis occurrit quæstio, in qua Cardo Disputationis potissimum versatur, adeoque digna, quæ quoad ejus fieri poterit, firmetur atque stabiliatur. Antequam verò certi quid statuamus, nobis inquirendum erit, quodnam sit *τεκμήριον*, quo unitas aut pluralitas fœtuum connatorum dijudicari debeat. Occurrat autem nobis forsan *a) Hippocrat.* inquiens: Τὰ ὄσεα τῷ σώματι σάσιν οὐδὲ ὀρθότητα ηγέρεται τὸ εἰδός ταγέχοτα; adeo que ex ossium ordine atque structura dirimendam esse hanc controversiam nobis inculcabit. Etenim cum monstri formalitas posita sit in mala figura, etiam ex hac, quam præbent ossa unitatem aut pluralitatem monstrorum argumentabitur, putamus.

Alii verò à *Centro evolutionis speciei* faciendum esse initium numeri fœtuum existimant, & tot ponunt homines, quot sese offerunt *centra evolutionis*, quorum radicem ponunt in anima, videsis *b)* *b) Idear.* *o. Marc. Marc.* Nova autem hic oboritur controversia. peratic. *Platonis, c) Galeni* atque, si vis *d) Cartesii* sententiam *Idea: c. 4.* jampridem tenebris sepultam quidam ab Orcore *s) d. Hipp.* vocant, dum sedem animæ primariam ponunt in *& Plat. pla-* cerebro; adeoque in ipso statuendum esset cen- *cit. libr. 8.* trum evolutionis, & per consequens ubi duplex *d) de pass.* *anim. pag. 1* cerebrum, duplex quoque homini anima & homo esset

esset duplex. Verum, (quum hæc opinio quoque θεσιν nostrani feriat) proh Superi! quis unquam cordi principium συτηπίας ac vitæ denegavit: animam verò hoc primariò obsidere satprobabile puto. Adde & hoc quod interdum reperiatur homo

e) Phys. Cu- biceps, quem unica forma informat (vide e) Schott.
rios. Libr. 5. f) Aldrovand. g) Paræum h) Lycosthen:) nihilo-
part. I. cap. i. minus tamen duas animæ sedes primarias numeras.
f) Histor. Reperti sunt sine cerebro, vid. i) Colleg. Curios, si-
monstr. p. ne capite k) Aldrovand. & tamen, quoniam vixe-
m. 411. runt, obtinuere sedem animæ primariam, nullus du-
bito. Admirati sunt alii homines capite canino:
g) Oper. tu sedem animæ considera. Cum Corde ejusmo-
Chirurg. l. 24. c. 2. di Naturæ lusum, quum sit ἡ ἀρχὴ & principium
h) Chron. reliquarum partium, vix reperies, quin potius ἀνά-
prodig. an- no 1552. λογον quidpiam prudens substituat. vide l) Schenck
i) Tom. 2. Ex his itaque apparet, puto, animæ sedem prima-
Observe 36. riām in cerebro quærendam non esse; adeoque
k) Histor. unitatem aut pluralitatem fœtuum juxta dictam
monstr. c. 3. l) Libr. 2. neque nostram, brevi explicandam hypothesin in
Observe 181. ipso indagari qui conantur, nodum in scirpo quæ-
runt. Quosvis autem hactenus suo sinimus abun-
dare genio. Nostra sententia est, cùm cor sit ἡ ἀρχὴ,
principium atque vitæ fons, à quo reliquarum par-
tium salus promanat; adeoque ubi duplex cor, ibi
duplex vita; ubi duplex vita, ibi duplex anima,
& consequenter duplex homo, id non immerito
statui posse κριτήριον nostri quæsiti.

m) Lib. d. Optimo modo nobis id ipsum m) Philosophus incul-
generat. an. cat, dum inquit: ἐν δέ εἰναι τὸ ζῷον τὸ θεραπώδες,
c. 4. ἡ ταλέο συμπεΦυκότα, δῆ νομήσει κατὰ τὴν ἀρχὴν.

Οἱον εἰ τοιχίον Τὶ εἶνιν ἡ καρδία μόριον, τὸ μὲν μιαν ἔχον
 καρδίαν, ἐν ζῷον. Τὰ δέ πλευνάζοντα μόρια, παρα-
 φύσεις Τὰ δέ πλευτες ἔχοντα, δύο μὲν εἴναι. *n) Paræus n) Op. Chi-*
 propriâ idipsum confirmat experientiâ: Anno, in- rurg. l. 24.
 quit 1546. mulier Lutetiæ sexto imprægnationis c. 14
 mense fœtum peperit, geminum caput, bina bra-
 chia & quaterna crura habentem. Ejus mortui
 cadaver, cum dissecuissem unicum cor reperi, ex
 quo scire licet, unicum (mirum sanè) eum infan-
 tem extitisse. Idem *o) Georg. Schenk.* asserit. Calcu- *o) demonst.*
 lum quoque album agmini Veterum adjecit inter hum. pag.
 Recentiores *p) Marc. Marc,* hisce verbis: Dico ergo ^{16.}
 unitatem aut pluralitatem fœtūs non ex cerebro, *p) Id. operat.*
 neque ulla alia parte, verū ex corde petendam,
 proindéque totidem dici fœtūs, quot insunt corda.
Idea c. 4.
 vid. ulteriùs. *q) Sperling. &c.* Probatur idipsum *q) Anthro-*
 exemplo eorum qui vixerunt bicipites. Ii namque, pol. l. l. c. l.
 quibus cor erat, similes atque simplices actiones quæst. l.
 ediderunt duplice capite. Contrà verò quibus cor
 duplex, diversas actiones, vitam atque mortem du-
 plicem ac disparem obière. Illustre prioris exem-
 plum nobis prostat apud *r) Paræum*, in quo omnes *r) Op. Chi-*
 actiones simplices erant ac similes adeò, ut etiam si rurg. l. 24.
 duo capita, idem tamen habuerint edendi & biben- c. 2.
 di, idem dormiendi, idem loquendi, idem rerum
 omnium desiderium &c. Posterioris exempla vid.
 apud *s) Georg. Schenk.* Nec longè petenda est ratio. *s) demonst.*
 In duplice namque corde, duplex anima suas quæ- human. p.
 vis edidit functiones peculiares. In simplici au- 16. 17.
 tem corde anima unica simplices in utroque capite
 administravit vitæ functiones: ut adeò non mi-
 rum, quod in illo similes, in hoc verò disparē ab
 utroque

utroque capite prodierint actiones. Concludimus itaque ex dupli, quod in nostro observatum fuit, uni involuto pericardio corde, hominem extitisse duplum, id quod ex haecenüs allatis *rationibus*, *Authoritatibus*, *Experientia* satis puto elucere. Verum dubium cuidam aboriri posset denuo: Si infantes hi duomansissent superstites, cum duplicitis cordis structura foris non apparuisset, quomodo nempe tunc, ut ritè baptismus administrari potuisset, controversia dirimenda fuisset? cum hominem semel baptizasse sufficiat, privâsse autem eo alterutrum religioni ducentum fuisset: Respondemus autem, non hic negligendam esse Prudentis, qui debet esse Medici operam, cui ex pulsibus, tanquam cordium nuntiis certissimis, tum etiam ex aliis indicis, videsis

- t) Camp. t) Rejes unitatem aut pluralitatem fœtuum connaturum colligere licebit, quo ita baptismus ritè administrari possit. Exempla vide apud u) Scultet x) Aldrovand. y) Par. In Resurrectione, quomodo cum istis duobus sit eventurum nostri non est exactum reddere judicium: hoc saltem addidisse & Curioso x) Histor. reposuisse non nimium puto: Deum T.O.M. qui monst. pag. illos tam mirum in modum ex abscondito consilio m. 631. connasci voluit ac jussit, eundem, qui manet Omnipotentem posse nobis omnem difficultatem removere, & duos ex immensa sua bonitate prodire homines facere ac jubere tanto facilius, quanto corum generatio nostrum cuidam videri possit difficilior. Hæc itaque de illorum numero dixisse sufficient: progredimur nunc ad eorundem *vitam*, & quomodo illa sese habitura fuisset indicabit.
- u) Armam. Chirurg. part. i. Tab. 45. figur. 9. z) Op. Chirurg. l. 24. c. 2.

QVÆSTIO V.

Utrum vitam, nisi duodenia & vi partus op-
pressi fuissent, potuissent unà aliquan-
diu protrahere?

Notum erit, puto, quid h̄ic per vitam intelli-
gamus; siquidem nihil aliud, quam hujus lu-
cis usuram per hanc significare volumus. Ex-
empla autem eorum, quibus h̄ec concessa fuit
monstrorum, paſſim nobis Authores depingunt.

a) *Paræus* memorat: Natum esse in Oriente infan-
tem, qui à ventre surfsum membra omnia duplia ^{a)} Oper.
habuerit, deorsum verò simplicia &c. & aliquandiu ^{b)} Chirurg.
vixisse. Narrant insuper, inquit, visa fuisse, duo in
Italia monstra, marem ac fœminam, corporibus
per omnia pulchrè & concinnè compositis; nisi
quòd capite essent dupli, & marem paucis ab ortu
diebus interiisse: fœminam verò (quam ibidem ef-
figie monstrat) 25. annos vixisse. In oppido quo-
dam Emaus, referente b) *Georgio Schenkio*, Theodo-
sio Cæsare imperante, puer natus fuit, qui umbi-
licótenus integer extabat; supernæ autem ejus par-
tes geminæ erant, ita ut duo pectora, totidémque
capita essent, suis partibus ac sensibus prædicta. Nam
& una pars aliquando cibis utebatur, altera abstine-
bat: Sic itidem in somno ac quiete variè ac diffe-
renter sese habebant, ut vicissim lusitarent, & risu
& lachrymis tenerentur, mutuisque plagis se cæde-
rent. Annis autem propè duobus vixeré &c. vide
ulterius c) *Aldrovand.* d) *Caspar.* à Rejēs, alios. Eorum ^{c)} Histor.
^{d)} Elys. ^{b)} de monst.
hum.p.16. m. 627.629.

e) Oper.
Chirurg.
l. 24. c. 2.
f) Armam.
Chirurg.
part. I. T. 45.
fig. 9.

g) Quæstio.
Medico-
Leg. l. 7. t. 7.
q. 3. 19.
b) Op. Chi-
rurg. l. 24.
c. i.
i) Camp.
Elys. q. 45.
45.

verò, qui citò diem obière suum, sive vi partūs ni-
miâ, sive propter vitium aliquod & organorum ad
vitam necessariorum defectum, exempla patent
varia, quæ adire licet apud e) *Paræum.* f) *Sculpte-*
tus mentionem facit monstri cujusdam nostro pa-
rum absimilis, nati die 5. Julii, horâ 6: sequente ve-
rò die, in æde sacra nomine *Christiani* & *Christianæ*
(membrum aderat unicum, fœmininum) insigni-
ti. Fœtus hic monstrofus, inquit codem die, ho-
rà sextâ post meridiem obiit: quod forsan propter
malam partium nutritiarum *diáthesis* factum esse
haut improbabile videtur. Causam, cur rarò per-
durent & superstites maneant vide apud g) *Paulum*
Zacchiam. h) *Paræum.* i) *Caspar.* à Rejes. Nostros
quod spectat fœtūs, si partium structuram perlu-
stremus, adeò ingeniosè hæc fuit fabricata, ut nul-
lam offendamus remoram, quin minùs aliquot,
fata si concessissent, annos vivendo attingere po-
tuissent. Duplicia enim omnia, tum pro præpa-
randis, tum conficiendis & in chylum mutandis
extabant organa satis idonea. Sanguini quoque
elaborando tam Recentioribus, quam Veteribus
sisterat Natura officinam percommmodam. Vitali-
bus facultatibus præstò erant duo corda, in quibus
illæ residerent & functiones exercebant suas. Ani-
malibus quoque exstruxit arcem duplicem &c. *Cæ-*
terum notamus, quòd partes, quas pro duplice ho-
mine duplices effingere Natura non potuit, illas de-
ficere & simplices dux optima adesse jussit, quas
simplices utrique sufficiencias fœtui prævidit, &
adeo ritè disposuit, ut iis tanquam communibus
organis

organis uti , sicque de communi quod inde resul-
tasset bono germanâ fide participare valuisset uter-
que. Cùm itaque omnibus functionibus præstò
fuerint organa satis idonea ; *Concludimus*, quòd
omnino vivere potuissent, nisi aliter fata consti-
tuissent, nimirum ut præduro partu miseriæ suæ
citò finem imponerent. Quòd verò non ita com-
modè vixissent, variæ forsan excogitari possent ra-
tiones, quas tacito nunc pectori brevitatis studio
involvimus. His ita præmissis nobis subjungenda
venit.

QVÆSTIO VI.

Utrùm (quium duo homines extiterint)
anima duplex in partibus eorum simplici-
bus, & quomodo consistere, suásque
edere functiones potuisset ?

Absterreret forsan hic quempiam tritus ille *Phi-*
losophorum Canon : *Unius rei non nisi unica est*
forma substantialis. Partes illæ simplices præ-
sumuntur res unica. E. partium illarum simplici-
um non nisi unica est forma & consequenter ani-
ma. At verò, quum tam dexter, quam sinister fœ-
tus sibi in istas partes simplices dominium vendi-
cārit : Naturam insuper eos propterea tam arcta
juxisse necessitudine superiùs probaverimus, ut
partibus (quas propter seminis inopiam simplices
efficere necesse habuit facultas plastica) commu-
nibus uti potuissent; necesse sanè quoque fuisset
ut ab utróque informata fuissent fœtu, quod non

*a) Histor.
monstr. p.
m. 628.*

nisi per animam, actum primum, à quo secundus dependet, fieri, *Philosophis* compertum est: adeoq; simplici illi organo, duplicitis eo utentis hominis animam, id ipsum informantem geminam, vinesse oportuisset. Probant, hoc fieri exempla connatorum, qui manserunt superstites. *a) Ulyss. Aldrov.* mentionem facit monstri cuiusdam è *Scotia* oriundi, quod infra umbilicum maris speciem referens à communi hominum effigie non discrepârit, sed supra umbilicum membra omnia duplicita habuerit. Id, inquit Rex *Scotiae* educandum & erudiendum in variis idiomatibus, & potissimum in Musica curavit, in qua miro fecit progressus. Duo, pergit erant admiranda: primò, quia hæc capita sæpius inter se rixabantur: deinde, quia læsis partibus inferioribus utrumque corpus dolore affiebatur. Rationem subnectit; quia nervi in istis partibus utriusque corpori erant communes, & consequenter horum læsio utriusque nocebat. Hactenus ille. Sensus autem fieri nequit, concedis, nisi præsente animâ, quæ omnium actionum author est & actor: adeoque duplē, simplici illi parti læsæ animam inextitisse est necesse. Canonem illum ab initio allegatum quod spectat putamus illum potissimum esse intelligendum de toto, cuius non nisi unica est forma substantialis: non item de partibus, quæ (quoad nostrum Casum) *extraordinario modo*, à natura coacta, sagaci tamen ita constitutæ, duplē recipere formā, à subjecto independentem, citra axiomatis illius injuriam potuerunt; adeò ut hoc modo consideratæ, formalirer, instar duplicitum illæ simplices haberi queant partes. Ani-

ma

mæ autem hæ duæ , quomodo sese habeant in partibus hisce simplicibus , utrùm confundantur atque in unam coëant , an verò distinctionem suam , à subjecto independentem , ubique eandem retinent , disquirere opus non est . Relinquimus itaque aliis , qui circa hæc talia versantur . Quoquo modo illæ duæ animæ insint , non immerito mentem subit cogitatio : *Utrum actiones in istis partibus factæ fuissent fortiores , laudabiliores atq; perfectiores ; cùm vis unita alias sit fortior?* Credimus autem adeò perfectam esse in operationibus suis animam simplicem , ut dummodo instrumenta idonea non deficiant , perfectiores illæ à dupli ci anima fieri nequeant . Testantur hoc exempla eorum qui connati vixerunt ; ubi nullum , quòd melius suas perfecerint functiones , imò contrarium potius apparet : videsis b) Aldrovand. c) Paræum &c. Adde-
 sis , quòd duplex anima in simplici organo non monstr. semper conspiret in unam eandemque actionem , pag. 627. v. g. in ambulando , quoniam sunt diversa , juxta varias mentis operationes , diversarum animarum imperia , potius est impedimento hæc alteri , dum illa contrarium forsan intendendo huic obnittitur , sicque ejus ὄρμη impedit atque infringit . Hæc itaque ad propositam quæstionem dixisse sufficient : sequitur nunc

QVÆSTIO VII.

Utrum fœtuum nostrorum connatorum eadem animi sensa ac desideria , mores

D 3 &

& actiones eadem, an verò essent diversæ,
siquidem adhuc aurâ vitali uteren-
tur ?

QUAM in præcedentibus Rubricis *Nostrorum Vi-*
tam contemplati simus ; consequens nunc
est ut progressum faciamus ad eorum *Vitæ*
actiones, & quid de his judicandum sit proferamus
in apertum. Historias autem si evolvamus monstro-
rum, passim nobis occurunt exempla, tam eo-
rum quibus similes concessæ actiones, quàm qui-
bus diversæ fuerunt illæ : Memorabile quoque ex-
emplum est illud, quod ex *Lycosth.* memorat *a) Par-*

Op. Chi-
turg l. 24.

c. 2.

ræus, de monstro quodam bicipiti : Demptâ enim,
inquit capitis geminatione, à natura velut ad amus-
sim membrorum omnium venustate & perfectio-
ne contextum erat. Duo illa capita idem habe-
bant edendi & bibendi, idem dormiendi, idem lo-
quendi, idem rerum omnium desiderium &c. Con-
trarium autem apparet in aliis veluti colligere licet

b) Lib. d.
monst. Pa-

rif. nat. c. 6.

ex illo exemplo quod *b) Riolan.* refert : Anno 1552.
in *Anglia*, non procul ab *Oxonie*, inquit ille, na-
tum est monstrum biceps, quatuor manibus dona-
tum, ventre autem & partibus inferioribus unicum :
ex ipsis *gemellis* uno vigilante, alter dormiebat,
dum hic latam faciem ostenderet, alter tristis erat

c) Hist. Scot.

l. 2.

ac mœstus apparebat. *c) Heitor Boëth.* & *d) Georg.*

l. 2.

Buchanan. referunt historiam memorabilem mon-

d) Hist. Scot.

l. 5.

stri cuiusdam è *Normunthia* oriundi, gemino ca-
pite, quaternis manibus; sed partibus inferioribus
communibus. In hoc monstro ex duabus volun-
tatibus

tatibus duo corpora secum discordia satis apparet: litigabant quippe interdum, dum aliud uni, aliud alteri placeret, aliquando veluti in communione consultabant, vide ulterius e) *Aldrovand.* f) e) *Histor.*
Rejes. g) *Georg. Schenk.* Cæterum quid de Nostris monstr. fuisset sperandum, ex haec tenus dictis non adeò liquet. pag. 627.
 Certis autem ut rem concludamus limitibus; nobis, adductis exemplis quam plurimorum ratum sit; f) *Camp.*
Elys. q. 45.
 Ubi duplex cor in hujusmodi monstris, ibidem duplex est anima (uti superius probatum q. 4.) quārum quævis suas edit actiones, & viceversā: Ubi 45. g) *Histor.* monstr. pag. 16.
 unicum cor, etiam si extrinsecus duo videantur esse homines, ibi unica est anima, à qua simplices, in geminatis quoque partibus procedunt actiones, & consequenter ita (in duplice v. g. capite) similes, ut ovum ovo vix similius: sicuti appareat ex supra allegatis exemplis. Dissimile autem cuidam vel illud videri posset exemplum, quo infringeret thesin nostram, cuius mentionem facit h) *Fortun. Licet.* h) *Append.* Monstrum Anglicum dictum, in quo capita sibi in- d. monstr. vicem è directo erant obversa: Cæterum utriusq; causis ac corpus usque ad umbilicum erat perfectum, ubi differ. coalitu facto in pedes simplices, qui tertium quasi constituebant angulum desinebat. In hoc, inquit viscera omnia, cor, hepar &c. erant duplicata: per biduum vivebat: alimento utebatur ore duplice: plorante uno, plorabat & alter, imò actiones omnes unius alter imitabatur. *Imitatatur*, perquam rectè. Nam quemadmodum (ex nostra hypothesi) vix credibile, quod omnes actiones tām brevi tempore ita accuratè potuerint observari: ita quoque directæ huic oppositioni multum tribuimus, adeò, ut

ut quod unus illorum fecit, alter hæc è transverso necessariò conspiciens, quasi commonefactus idem fecerit, *imitatus* sit. Quemadmodum itaque duos alios homines sibi propinquos quemvis propria animi sensa ac desideria fovere, diversas insuper actiones edere videmus; ita quoque quòd Nostrorum cœnnatorum suas quivis actiones modò similes, modò diversas ac discrepantes edidisset, hactenus persuasum habemus. In partibus autem (quod notamus diversum) inferioribus simplicibus utriusque anima, ratione functionum naturalium, in unum, nimirum in partium, (quibus communibus usâ fuisset utraque) conservationem conspirâset, non dubitamus.

Mores (qui sequi dicuntur temperamentum corporis, vide *Magnif. Dn. D. i Melch. Sebiz.*) credimus quod tām diversi fuissent, quam diversa eorum temperamenta extitissent. Dexter namque fœtus multò floridior, vegetior atque perfectior ad temperamentum sanguineum propriùs accedebat, quām sinister, qui obscuram admodum faciem exhibuit: hinc quoque diversitatem propensionem facile colligere licet, vide *Venerandi nostri Senis Melch. Sebiz. μεμροτέχ. Disp. Coroll. alleg.* Hæc itaq; in genere respectu aliorum exemplorum de Nostro annotâsse habuimus necesse: specialiora quādam circa actiones videbimus in sequentibus quæstionibus, inter quas primò quæ circa functiones notanda veniunt animales, exponit

QVAESTIO VIII.

Utrum utriusque Infantis eadem fuisset phantasia: & quid de motu in pedibus illorumq; sensu sit statuendum?

Tanta vis est imaginationis, ut quidam hanc, mediantibus spiritibus animalibus per peculiarem sympathiam delatis ad alterius spiritus, posse eos ad similem, quo cogitantis spiritus moventur, motum ciere; (argumento desumpto ab aquarum vorticibus, ubi motus aquarum circularis delatus per oculum ad phantasiam, eandem ibidem impressionem, vertiginem juxta *Artis Proceres* introducit, videsis a) Rattray) sicque, cum phantasia juxta certam spirituum figurationem diversi- modè à cogitantis spiritibus, per sympathiam ap- pellentibus, modificatam moveatur, fieri ut ipsius cogitantis impressiones hoc modo recipiat, & sic idem cum ipso cogitante sentire necesse habeat, affirmare ausi sint. Tanto magis autem id ipsum dubium cuidam crearet forsan in Infantibus nostris, quanto majore illos gaudere affinitate & propinquitate vidisset: nimirum, an non quidam horum altius de re quadam cogitans, eandem, quam in proprio fovisset cerebro spirituum animalium figuracionem etiam vicini alterius spiritibus, mediante eadem sympathia, imprimere atque communicare, sicque simile phantasma excitare potuisset? Adde & hoc, quod nonnulli satis arguti *animalium* saltem (de qua, quomodo homini competit

- sub judice lis est) *sensitivam* in partibus ejusmodi
 connatorum simplicibus in unam coire existiment
b) Id.operat (videsis *b) Marc. Marci*) itaque per hanc continuata
Id. c. 4. tem phantasia quasi ad alterius cerebrum continua
 eandem vicino suo impressionem intulisset,
 videtur. Observatum fuit insuper (ut & ipsam
 optimam rerum magistram adducamus, Experien-
 tiam) ejusmodi bicipitibus idem fuisse rerum o-
c) Op. Chir. minium desiderium : vide *c) Paræum* &c. En tibi rem
l. 24. c. 2. secundùm acta & probata ! Verùm , quoad mo-
 dum illum sympatheticum , quemadmodum præ-
 suppositum ejus fallax , ita quoque vanis ludibriis
 atque figmentis idipsum annumerandum esse cen-
 semus ; quandoquidem aut semper easdem habu-
 issent ambo infantes impressiones , aut si diversas
 fovissent & hanc spirituum figurationem impressis-
 sent & communicassent sibi invicem , necesse sa-
 nè fuisset , ut quas jam antea dexter habuit , nunc
 sinister recepisset impressas & viceversâ cogitationes ,
 quod esset absurdum. Exempli ex *Paræo* adducti
 rationem in præcedenti quæstione exposuimus. No-
 stra mens est , cùm anima fuerit duplex in nostro
Fætu , cerebrum geminum , phantasia insuper sit
d) d. Conf. immanens (vid. *d) Sennert.*) quòd proprias ac diver-
& diff. c. 14. sas quivis citra impedimentum alterius machinari
 potuisset imaginationes. Rem ita se habere pro-
e) Histor. bant exempla varia , quæ videre licet apud *e) Aldrov.*
monstr. p. *f) Rejes* *g) Schenk.* aliquos.
 627. **f) Camp.** De ambulatione res mira videtur. Etenim , cùm
Elys. q. 45. duplex anima in utriusque cerebro variè de obje-
 ctis potuisset judicare , ita ut hæc objectum aliquod
 45. **g) Histor.** tanquam bonum prosequi , altera verò tanquam
monst. p. 17. malum

malum repudiare contendisset: iisdem autem utraque ad instituendum motum usa fuisset muscularis, mirum sanè quomodo tandem motus ille processisset? Credimus autem, quod in hac lucta (quæ intercessisset interdum, nullus dubito) ille palmam obtinuisse qui fortiores, copiosiores ac vegetiores ad musculos ablegasset spiritus (majorem copulam explosivam, juxta h) Willis) adeoque etiam si fini- b) Path. ster, qui longè infirmior erat atque imperfectior, cereb. c. i. contrarium de objecto judicando, contrarium instituere motum contendisset; dexter tamen longè vegetior, alterius spirituum vim infringendo & in suam quasi convertendo contrario nisu, sive prosequi objectum, sive repudiare voluisse, scopum suum, victor perpetuus assecutus fuisset. Si verò uno quiescente, & sicuti nullam vim conferente ita neque resistente, alter progressus fuisset, tunc nempe gestari potuisset dici hic ab illo.

De *sensu* nullum est dubium, quin læsis partibus communibus uterque per nervos, quos ad illos, proculdubio, quivis ablegavit peculiares, noxam percepisset: id quod exemplis demonstrâisse sufficiat, videsis i) Aldrov. Hæc de iis quæ no- i) Histor. tanda circa functiones animales, vitales aggre- monstr. ditur. p. 627.

QVÆSTIO IX.

Utrum unà spiritum traxissent ac locuti fuissent, an verò tempore diverso;
& quid de pulsibus notandum?

Antequam ad prius quæsiti membrum respondeamus, nobis discutienda venit gravis illa controversia, circa respirationem agitari solita: quódnam nimirum sit principium motus in respiratione? Respondent nonnulli, quòd sit insita quædam pulmonum facultas, quâ ipsi ope fibrarum sui generis ad capessendum aërem dilatentur, aut ad eundem expellendum constringantur; quam dilatationem postmodum atque pulmonum constrictiōnem per accidens sequatur motus thoracis,

- a) Manud.** sicut videre est apud *a) Daniel. Horst. b) Sperling. c) Plater. d) Hoffman. &c.* qui omnes facile, hac sententiâ inducti duplicem atque diversam respirationem supposuissent. Contrario autem modo alii **b) Anthro-** ex optimis principiis ortum ac causam motus in pol. 1 2. part respiratione primam quærunt in cerebro; cumque 2. c. 8. q. 5. à facultate ejus motrice derivant, quæ mittendo **c) Quæst.** spiritus per nervos sexti paris musculos thoracis, **d) Tr. d.** partim ad eum constringendum, partim vero dilatandum movet: quem postmodum motum (sive quia non datur vacuum, sicut argutè hanc fovet **e) Disp. d.** sententiam *e) Christoph. Sturm.* sive ad effugium va- Circul. corp. cui, quali modo respirationis motum deducit non imped. **f) Archang. Piccalhom.** pulmonum motus, & con- **f) Praelect.** sequenter ipsamet insequitur respiratio: videsis hac Anatom. de re *g) Archang. Piccalhom. h) Venerand. nost. Senem;* Lect. 8. *Melch. Sebiz.* Adde hisce, quod in Apoplecticis re- **g) vid. f)** spiratio semper, si non in totum, quadantenus **h) Exercit.** 24. probl. 3. saltem intercipiatur, illæsis pulmonibus; argumen- to certissimo, principium motus dependere à cere- **i) Spec. Med** bro. Dicis forsitan, ut plurimum sartam teftam ma- pract. part, nec respirationem, vid, antea allegatum *i) Autho-* *rem?* *z. f. 2. c. f.*

rem? Bene: quantum nimirum licet: non ut inde pro tua opinione robur elicias, aliam hujus *φαντασίας* rationem nobis monstrat k) idem *Vir, quem k) vid. i)* profunda eruditio & insolita senectus admirabilem reddit. His itaque præmissis; concludimus, principium motū in respiratione dependere à cerebro, respirationēque fieri ad motum thoracis, quem expediunt ejusdem musculi.

Mirum autem cuidam videbitur nostrum de quæsito judicium, nimirum quod uterque fœtus uno & eodem tempore respirare debuisset, dum constricto simplici, qui erat thorace uterque pulmo subiacens necessariò compressus fuisset: & vicissim. Cur autem, inquies forsan, Natura duplicem pulmonem condidit; thoracis verò musculos simplices constituit? Respondemus autem, Naturam thoracem constituisse simplicem consultò ac providè, quoniam simplicem eum duplicitis respirationis motui sufficere posse prævidit: ideoque propter inopiam seminalis materiei eum simplicem utriusque respirationi inservire voluit. Duplicem contrà pulmonem condidit, quoniam duplici, pro gemini cordis refrigerio, opus fuisset ventilabro. Addeſis & Recentiorum rationem. Relinquitur tandem, quod respiratio utriusque fuisset simultanea, ita ut constricto thorace simplici, uterque simul exspirasset, & contrà.

De locutione res aliter sese habet. Nam etsi, quum alter loquutus fuisset violenta exsuffratio aëris per organa locutioni inservientia à simplicis thoracis vehementiori compressione utrique fœtui accidisset: non tamen apud utrumque necessariò

locutio fuisset facta, nisi instrumenta huic usui inservientia (quæ nobis disertè monstrat. *Nobiliss. Dn. I. Exercit. D. I. Joh. Albert. Sebiz. Preceptor noster atq[ue] Patronus patholog. summus*) certo modo ab utroque disposita, directa d. vit. locut. atque locata fuissent. Itaque apud illum, cui lo- pag. 186. quendi fuisset animus, quoniam etiam organa cer- to modo, proculdubio direxisset, factâ validiore hac exsufflatione aëris, locutio sequuta fuisset; se- cùs atque apud illum, qui ex contraria voluntate istum aëris impetum liberè transpirare sivisset.

Circa pulsus notamus, quod ille duplex in partibus superioribus factus fuisset, tam ratione numeri & temporis, quam ratione subjecti, atque diversus. In partibus autem inferioribus, simplicibus, etiam in simplici, ex duplice aorta descen- dente oriundo ramo, duplex pulsus à duplice corde continuatus, potuisset observari. Hinc unitatem & pluralitatem cordium in hujusmodi monstribus & consequenter hominum ex pulsibus in ipsis partibus colligi posse quæst. 4. diximus. Tandem ut videa- mus quoque, quid in naturalibus functionibus sit observandum, non inutilis videtur

QVÆSTIO X.

Utrum esuriente uno & alter esuriisset: & quid de glandulis, testiculos fœmi- ninos mentientibus sit statuen- dum?

PRius quod spectat quæsiti membrum, dubita- ri adhuc posset. Etenim si ad subjectum, in que famis

fames & appetitus animalis residet respiciamus, duplex illud, nobis duplē famem in memoriam revocat, quod quidem *quoad numerum* concedimus. An verò uno tempore utriusque fames coincidisset, si quidem adhuc essent in vivis, nobis dubium moveret forsan, quod dexter perfectior, adeoque plus alimenti absumpsisset, sicque citius appetitum proprii ventriculi sollicitasset; quam sinister, qui imperfectior cibo semel assumpto diutiùs contentus vixisset. Verum si modum, quo fames, seu juxta *a) Ravastein.* sensus indigentiae fieri solet, per-
scrutemur, aliâ viâ nos cum *Galenô* tutissimos itu-
ros speramus. Quinque autem illa symptomata,
quæ generaliter *b) Hippoc.* specialiùs autem *c) Gale-*
nus recensent pro basi recipimus. Trahunt itaque flat.
& alliciunt partes exhaustæ, ita ut quasi per ordi-
nem sequatur motus ille & continuetur usque ad *symp. caus.*
fontem secundum seu officinam *αγνάτωσε*; indé-
que ulteriùs videsis *d) River.* usque ad primum, seu
officinam χυλώσε tanquam principium petitio-
nis; quod esse ventriculum uno ore satentur omnes.
Secundus autem, quo exhausto demum ad primum
pervenitur, inter Recentiores & Veteres magno
hiatu, valido interposito septo distat. Illi configi-
unt ad cor, in quo *αγνάτωσι* celebrari, chylo per
ductum thoracicum allato statuunt: itaque duplex
fons secundus (quem illi cor, in fœtu nostro gemitum
deprehensum supponent) ad duplē primi
regrediens, trahit ex illo & penum suum ad
impleri desiderat: adeoque uterque fœtus diverso
tempore (cùm dexter ob calorem, qui in illo vigere
videbatur, plus alimenti, quam sinister absumpsis-
set)

*a) Lexic.**b) Libr. d.**c. 7.**d) Prax. I. 9.**c. i.*

set) esuriisset. Videtur equidem hæc via quam illi vadunt admodum plausibilis, tanto magis quia duplex fuit homo: Veruntamen, ut ingenuè fateamur, in nostro fœtu (de quo, sepositâ verecundiâ verum prædicamus) permagnum illi recurrentes à corde dupli ad duplicem ventriculum offendent offendiculum: Mesenterium est, quod adfuit simplex. Multam è contra lucem id ipsum adferet nobis in quæstione dilucidanda. Simplex ctenim illud, tanquam fontis secundi scaturigo; tacitè nobis monstrat fontem, versùs quem scaturiat & penum suum effundat: Jecur vidit simplex, cui tanquam fonti simplici & ipsum, tanquam scaturigo hujus simplex sufficere voluit.

Exposito itaque modo, quo fames fieri solet, distinguimus inter famem *præternaturalem* (quæ provenire solet à variis Causis: vide *Magnific. Dn.D.*

e) Specul. *e) Melch. Sebizium* *f) River.* practicos alios &c. Ita
Med. pract. que hisce tum ad quemcunque ventriculum effusis,
part. 4. sect. tum aliunde allatis, sensum naturali functioni simili
4. c. 13. lem excitatus esset): & *naturalem*, quam dicto fieri
f) Prax. modo persuasum habemus. Quum itaq; Jecur fuerit
Libr. 9. c. 2. simplex, & ex eo tanquam fonte secundo uterque
 fœtus communiter hausisset, credimus, quod suetio
 partium ad ventriculum non pervenisset prius,
 donec Jecore exhausto id ipsum ab utroque per me-
 senterium, idque ab utroque simul ventriculo tra-
 xisset, sicque fames utriusque uno & eodem tempo-
 re coincidisset, naturalis nempe.

De actu venereo cum primis vel illud notamus,
 quod *carunculae illæ*, seu *glandulae vasis spermaticis ad-*
jectæ suum quoque agnoverissent finem: nimirum
 (cum

(cùm ne ullum quidem *Uteri* indicium apparuerit) testiculos fœmininos illas exclamare nimium putamus; suspicamur potius, quòd singulari forsan Naturæ studio huc loci positæ, non parùm ad elaborationem seminis fecissent: sive jam illos *τραόρχιδας* vocare libuerit: sive non, nobis perinde erit. Cæterùm, cùm dextri temperamentum ad sanguineum propriùs accesserit, credimus, quòd etiam ad rem venereum (nihil morante illo, quòd testiculi fuissent partes communes, de quibus diximus, quòd uterque in iis stimulum quemicunque, adeoque & venereum percepisset) propensior fuisset, quam verò sinister, qui genio suo obscuriori, & magis melancholico indulgens verecundus, alter è contra venereus extitisset: veluti appareat ex illo exemplo, quod in medium adducit g) à Rejes: Etenim dum alter pius erat ac devotus, alter fuit vi-
tiosus: ita ut, dum unus orare volebat, alter de
quærendis meretricibus fuerit sollicitus &c. Et hæc
de functionibus in specie: ad alia nunc progredi-
tur

QVÆSTIO XI.

Utrum, si unus ægrotasset, alter simul affectus, similique labe correptus fuisset?

Notum est, quanta intercedat sympathia inter consanguineos, adeò, ut quandoque vel uno labe quadam correpto, totæ familiæ sanguine junctæ eandem noxam persenserint (vid. a) Sennert.) a) Lib. 4. d. quam quidem vim atque energiam alii ad alia reji- Febrib. c. 3.

ciunt, in similitudine tamen, qua corpora singuli-
lari επιτίθενται labi illi correspondent esse posi-
tam rationi consonum videtur, sive illa consistat

b) Theatr. in similitudine fermentorum, (videlicet *b) Sylvest.*
sympath. d. *Rattray*, modum operationis vide *c) Villich.*) sive
causis sym- cognitione alia. *Quod si verum, uti verissimum,*
path. & an- multò major & arctior intercedit necessitudo inter
tipath. fratres, ex eodem semine genitos, eoq; simili ita ut,
c) d. Fer- per hanc identitatem nullo pellente contrario, na-
ment, c. 8. turæ adjumento in unum coierit uterque fœtus
noster. Ejusmodi sympathiam inter connatos no-

d) Op. Chi- bis monstrat *d) Paræus*, qua mortuo uno alter sta-
turg. L. 24. tim fatis cessit: modum operationis scrutatur *e)*

c. 2. *Fortun. Licet*, & per illam, quæ intercesserat capi-
e) d Caus. tum conjunctionem ab ægrotantis corpore halitus
& differ. & spiritus morbificos in alterius membra præcipua
monstr. transfusos esse, labis consimilis in superstite pro-
creatores, existimat. In nostro fœtu non opus ha-
bemus transfire ad ejusmodi peregrina. Etenim,

cum natura eos tam arcta junxerit affinitate, ra-
tioni consonum videtur, quod sicut in secunda, pariter & in adversa valetudine jugis & assiduus ab uno ad alterum eorum factus fuisset transitus: adeo-
que hæc utriusque κοινωνία, omni affinitate major, nobis hujus sympathiæ exemplo esse poterit mani-
festissimo. Quoad nostrum quæsumus, non ita ab-
solutè effari licet, quin prius distinxerimus inter morbos, qui obsecrarent vel *partes communis*, vel *proprias*. Qui *communes*, cujuscunque illi extitif-
fent generis, utrique tamen molestiam conciliâf-
fent: exemplum hujus vide apud *f) Aldrovand.* Pro-

f) Histor. *proprias* autem qui occupassent partes: iterum vel
monstr. p. fuissent
627.

fuissent proprii in modo primo, v. g. morbi conformatio-
nis & solutæ unitatis: vel communicativi &
ita comparati, ut quāmvis partem occupâssent pro-
priam; alteri tamen facile communicari potuissent
fœtui, cujusmodi sunt febres, in quibus trans-
lato μεσματε, febrilis calor facili negotio in al-
tero quoque corpore potuisset accendi. Quum
itaq; in ejusmodi statum potuissent incidere, ut to-
tam historiam Vitæ absolvamus, Medico haut ad-
versa crit, spero

QVÆSTIO XII.

Utrūm ægrotante uno Noſtrorū, ipſi ægro-
to, an verò alteri: utroq; laborante, utrique
medicamenta, quomodo & qua Dosi
fuissent adhibenda?

AD prius statim responderet quispiam: cùm
medicamenta, cumprimis cathartica naturæ
sint adversa, adeò ut debilem magis debili-
tent, satiùs esse, ut ægrotō confortantia & quæ na-
turæ grata: alteri verò purgantia, quorum vis pur-
gatrix melius in sani ventriculo actuata fusè latèq;
dispersa in utriusque corpus diffundatur, adhibita
fuissent. Verūm breviter: sano competit φύλαξις:
ægrotō verò θεράπεια, vid. *Magnif. Dn. D. a) Melch.*
Sebiz. Nos tamen distinguimus inter corpora, & Disput. 2.
ipsa remedia; quorum purgantia, quum ægrotus
nimis fuisset debilis, sano (tantūm Φαινομένως tali,
nimirum si & ipse apparatus fovisset morbificum)

sanâ ratione potuissent adhiberi: vis námque purgatrix non tantum hujus, sed & diffusa in ægroti corpus minori molestia & ejus vitiosos eduxisset humores &c. Sin verò alterius corpus fuisse optimè sanum, tunc, inquam purgantia juxtâ monitum b) Aph. 36. tum b) Hippoc. nullo modo ipsi propinari debuissent. Idem de aliis medicamentorum generibus 37. sect. 2. judicandum. Quoad posterius quæsiti; priùs allegatam in memoriam revocamus distinctionem inter morbos, qui occupâssent vel partes communes, vel proprias. Qui communes, v.g. si laborâssent vitio quodam jecoris aut Renum &c. ut rique, quoniam utrumque corpus fuisse afflictum θεραπεια fuisse administranda: perpensâ tamen priùs dosi, ne medicamenti utriusque vis in parte communâ congregata noxam potiùs intulisset. Proprias autem qui occupâssent morbi partes, iterum fuissent (uti suprà demonstratum) vel proprii in modo primo v.g. morbi solutæ unitatis, in quibus ægrotantis parti affectæ medicamenta in specie fuissent applicanda: vel communicativi, sicut de febribus dictum, ubi ægrotanti cura primaria, alteri verò præservatio fuisse ex usu. Tandem verò Dosin quod spectat, ita administranda fuisse, præsertim in Catharticis, ne, cùm vis medicamenti in partibus communibus congregata fuisse, inde noxa succrevisset; itaque ultra Dosin alias consuetam & uni homini adhiberi solitam non multum fuisse ascendendum. Et hæc de Nostrorum cura, superest ut ultimam admoveamus manum: finem itaque imponet

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIII.

Quid de *Nostrorum* obitu, siquidem ha-
ctenus protraxissent vitam esset sta-
tuendum?

Breviter, ut rem cœptam concludamus, credimus, quod cùm duplex, uti supra dictum, homo, adeoque gemina præcesserit vita, duplicem quidem diem habuissent obeundum: an verò multum temporis inter duplicem illum intercessisset, (uti quandoque contigit, vid. a) *Aldrovand.* b) *Rejes.* c) *VVolfius* d) *Scultet.* &c.) vix illum assertu- monstri. p. rum existimo, cui intimum, quo sibi invicem jun- 629. gebantur consortium fuerit cognitum atque per- b) *Camp.* Elys. q. 45. spectum

Sed manum de tabula.

Hæc qualiacunque dicta hactenus, Tibi Can- c) Lect. me- dide Lector dicta sufficient: utinam ad palatum morab. & tuum, id est ad votum nostrum! DEO interim recond. p. 417. b. Triuni pro concessa largiter gratia, thureâ hac ac- d) Arm. cerrâ animam ipsam, ardentissimum suffimigium Chirurg. accendimus. Ipsi part. i. T. 45. fig. 9.

*Sit Laus & Gloria in sempiterna
secula.*

Paginam absolvunt Errata quædam Typograph.
quæ ita accipe:

Pag. 7, lin. 6, leg. quòd. ibid. lin. 28 quòd. p. 8. l. 27. l. applican- das, pag. 14. l. 3. l. αλλοιωτικῆς. p. 16. l. 32. l. νομίζειν. p. 17 l. 2. l. πλεονάζοντα. l. 18. ibid. leg. cor unicum.

Pereximio atq; Nobilissimo Domino
JOHANNI CONRADO BRVNNERO
De
Partu monstroso
Inauguraliter disputanti.
S.

IN profluente Monstra mersa protinus
 Leges tabellarum jubent abscondere.
 Legis fuit morisque Atheniensibus,
 Idem: jubebant namque Monstra mergere
 In alveo maris suos. Ut artifex
 Videtur & Natura malle supprimi
 Errata, & esse occulta sua quam cognita.
 Sed amplius, si Monstra sunt exposita
 Oculis, subinde etiam imprimunt monstri Ideam
 Prægnantibus: Cunctis malis sunt ominis.
BRVNNERE, qui Ergo sustines, ausu novo,
 Ne protinus monstrosa forma diffuat,
 Industriâ tenellula ossa nectere,
 Illamque promptâ sic manu depingere,
 Et docta de illâ verba nobis fundere?
 Sed Curioso scilicet conceditur
 Sic Curiosis hanc referre gratiam.
 Cum cæteris laudes Tibi jure accino.

Marcus Mappus Medic. D.
& Prof. P. Universitatis h.t.
Rector.

En

EN BRVNNERE Tibi parta ad sublimia Virtus
Stravit iter, nunc Tu pergit, & ito viam,
Sic etenim laudem paries Tibi crede perennem,
Præmia sic capies digna labore Tuo.
Gaudia sic Patri, sic gaudia sanguine junctis,
Sic etiam paries nomen in orbe Tibi.

Ευστίρω συ συανιστόνομος εργό
applaudit
Johann. Alb. Sebiz. D.
& Prof. P.

Hexastichon
ad

Dissertationis Authorem atque Propugnatorem
doctissimum.

Anne cluet *Conrad* consulta audacia verè?
Julius ut quondam Scaliger explicuit.
Rite clues *Conrad*, qui magnis viribus audes
Aggredier, magni quæ stupuérē viri:
Dum dirum docto studio describis abortum,
Quo vis naturæ degenerare solet.
Jure Machaonium sic scandes nobile culmen,
Et summa Doctor laude vocandus eris.
Perge, quod esse clues, *Conrad*, felicibus ausis,
Convenient fatis nomina sicque suis.
Nunc iter ingreditor susceptum, perfice, Christo
Auspice: tu sospes vive, redique domum!

Versiculis hisce
Supremum in arte Medica Doctoratus
axioma Amico suo, Discipulo quon-
dam perdilecto, toto gratula-
tur pedore

Joh. Jacobus Dentzlerus Tigur.
M.

*Nobilissimo, & Clarissimo Domino Can-
didato, Amico suo inter paucos
dilecto,*

Est BICEPS MONSTRUM, quod TE delectat Amice,
Successusque TIBI spondet BRUNNERE secundos:
Gratulor ex animo, faveant cœlestia cœptis
Numina, quò meritis acquiras præmia digna.
Crescat Honos; Nomenque Tuum, quod surgit in altum
DOCTORIS titulum, fama celebretur ubique:
BRUNNERI felix curandis dextera morbis.

*De Complemento studiorum ex animo
ita gratulatur,*

Wilh. Christ. Küeffer, Med. Cultor.

Quem decus eximii generis, quem cura Thaliæ,
Et Phœbi Medici felicem gloria clarat,
Quemque meæ virtus niveusque in pectore candor,
Fœdere jamdudum menti conjunxit amico,
Cum Brunnere! biceps nuper quod patria nostra
Edidit in lucem, monstrum describis, & ejus
Solers solerti indages indagine causas,
Monstrorum similem Te dissimilemque tremori,
Jure Jovis possum celebrato dicere nato.
Dissimilem, pressus quoniam Tirynthius ira
Junonis, valida, morbi, damnosa novercæ
Monstra dedit clava: Phœbi Tu tectus amore,
In vitam docta revocas innoxia penna.
**Alcide similem,* quoniam post mille labores,
Ut pater omnipotens inter cava nubila raptum,
Illum quadrigis, radiantibus intulit astris:
Optime sic studii fructus decerpis *Amice!*
Æternasque Tibi servabit gloria laudes.

*Ovid. Me-
tamorph.
1.8.f.4.

Joh. Georgius Zittelin,
Argent.

F I N I S.